


Johann Heinrich Becker


Academiae Rostochiensis Rector, Ioann. Henricus Becker, SS. Theol. Doctor Et Prof. P. O. Ad Div. Nicol. Ecclesiastes, Ad Festum Nativitatis Christi Pie Celebrandum, Academiae Cives O. O. H. Pro Officii Ratione Excitaturus, Honorem, Per Filii Dei Incarnationem Ad Nos Redundantem, Eximium, Contra Anonymum Quendam Paucis Vindicat

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1757?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862105595>

Druck Freier  Zugang





Handwritten text at the top of the page, possibly a title or description, mostly illegible due to fading and bleed-through.

A. B.
48. 6. 31.

60

274

Fa-1092 (60.)

Christian Ernst von Windheim Ulpizy
u. Krüpy Dux fuzym Vnterfuzym von
Mindunvorn i. Christum Kirchs von Dux
Toda Apstla vnterfuzym i. Conger. Medleton vnt
Lind un. Hallid

12 Christ. Albr. Döderleins fuzymlich And
han dan John Krüzym Dux biblyssm Quob
yer von Dux Duxirfuzym

3 Dan Salheni Commentatio in historiae
Canonis sacris textus et Joederis eadem paragraphus

4 Joh. Hen. Betsch Dissertatio inauguralis
de gravitate prolegata

5 Joach. Ludov. Wilmons Dissertatio inauguralis
Medica de fronte morborum interprete

6 Franz. Gubliel. Zangen Dissertatio inau-
guralis iudicial de decisione casuum quae
sit pro auctoritate

7 Ern. Jo. Fried. Ellanzel Juris-consultus de
Spiritu sancto nonnulla meditantis

8 Joh. Wendel Barvila Exercitatio Theologica
de Theodoro Ecclesiae Romanae indulgentiaro

9 Vin. Gublielmy Dux protestantischem Religion
indiv. fuzymlich fuzymlich in Dux Dux un. fuzym
von London Dux Gublielmy fuzymlich i. Dux un. fuzym
Dux Dux un. fuzymlich Friedrichs zur
Romischen Kirchs

10 Joh. Juncker interpretatio Joh. xv. 12-15

11 Joh. Wilh. Lehmanni sonae. Versiones
Soloriae! Bohemiae apud Protest. receptae

12 Christ. Fried. Santagani & 514 23
& 517 ad illustranda varia scripturae
loca ex lege v. 517 & 24 Deut. xx. 11, 5.

13 Jo. Fried. Schm. Rosenbergen Dissertatio
Philologico-critica ad verba David male
volentiam Simeonitam concernentia

14 Christoph And. Aeder Problema de
Foemina virum circumdante

15 Franc. Albert. Gölty Dissertatio de
Concordia rationis cum fide etc

16 Christ. Martin Heinzelmann Elementa
doctrinae Theologicae de recta in collisione
officiorum Christianorum excipiendi ratione

17 Nelson Christianorum de Christo testimonia

18 And. Christ. Eichenbach Epigenes
de poesi orphica

19 Joach. Sporini Commentio Theologica
de firmitate ac inspiratione divina de
monstrationis novi

20 Dissertatio quaestiois an principi
imperii B. S. Catholicus Ecclesiastici prae-
sertim ordini in territorio sui legem aut
statutum vigore eius Monasteria atque
ordines religiose ab hereditatibus per-
pessois sine ingresso ordinem quacuq.
ratione acquirendis sine in locum sine pro
parte excludantur atque portione statuto
de iure contenti vivere valentur
iure ac conscientia salua condere valeat

21 Comment. Joh. Phil. Esch. Commenta-
tio Theologica casuatis de eo quod licet
tunc est circa pietatam unmagnum SS
Trinitatis et personarum divinarum

22 Joh. Hen. Becker. Isaacus mactatus
licet non mactatus

23 Joh. Hen. Becker honorem per filii
Dei incarnationem ad nos referendam
contra Anonymum quendam vindicam

24 Joan. Tom. And. Joekennack Dissertatio
de praesentia Theologiae Acroamaticae
prae se dicte biblica

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
RECTOR,

IOANN. HENRICVS BECKER,

SS. THEOL. DOCTOR ET PROF. P. O.
AD DIV. NICOL. ECCLESIASTES,


AD FESTVM
NATIVITATIS CHRISTI
PIE CELEBRANDVM,

ACADEMIAE CIVES O. O. H.
PRO OFFICII RATIONE
EXCITATVRVS,

HONOREM,
PER
FILII DEI INCARNATIONEM
AD NOS REDVNDANTEM, EXIMIVM,

CONTRA
ANONYMV M QVENDAM

PAVCIS VINDICAT,



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS,



Quum de themate, laeto hoc natali Servatoris festo, vobiscum, Cives Honoratissimi! communicando, mecum deliberarem, et mihi mox illud: *de primogenito omnium creaturae Coloss. I. 15.* mox: *de Domino, spiritu illo. II Cor. III. 17.* mox aliud, sese offerret, in manus mihi incidit scandalosus, quem iam indicatum legeram, *in relationibus litterariis Erlangensibus, Num. XLIV. a. c.* Tractatus auctoris alicuius anonymi, quem Theologiae operam dare, non opinor, qui quaestionem: *An incarnatio Filii DEI honori nobis cedat: nec ne?* non publice profert solum; sed et, quod fortassis nemini Christiano homini, immo vix haeretico cuidam, nisi iudaicae impietati adducto, unquam in mentem venit, audacter, et, sub specie philosophicae subtilitatis, in offendiculum omnium piarum mentium negat. Titulus ita habet: *Gereicht uns die Menschwerdung des Sohnes Gottes zur Ehre? beantwortet von G. Franckf. und Leipzig 1757.* Postquam pl. Rev. Dn. IACOBI suum tractatum edidit: *Sollte Gott auch wohl verdienen, dass der Mensch Achtung und Ehrerbietung für ihn hätte etc.* plures Virum (cuius piae intentioni, dexteritati et deductionis soliditati, hinc laudi promeritae, nihil detractum cupio, titulum autem libelli aliquid offendiculi secum vehere, statim iudicavi, iudicarunt idem mecum alii), imprudenter imitati, alia Themata theologica, quaestione illa: *Sollte Gott wohl etc. Sollte wohl etc.* adspersa quasi macula, pertractarunt. Modo dictus scriptor, quisquis tandem



tandem sit, quamvis sceleratum et impium illum ceteroquin credere nolim (de quo tamen vereor, ut, quid per Christum sit, et habeat? quid hoc sit: e DEO natum, in Christo justificatum, ad vitam aeternam electum, et Spiritu S. obsignatum esse? quid gaudium spirituale, et quaenam futuri seculi vires? unquam in anima sua gustaverit.) philosophicis tricis impeditus, et philosophica, qualicunque *honoris* definitione, nixus, quaestionem, imprudenter formatam, scandalose et ruspiter negare, et, *quod incarnatio Filii DEI nobis ignominiae potius cedat*, ingenio abutens, et sub fuce, quasi honorem DEI extollere laboret, adserere, et demonstratum dare, non erubescit. Id ergo, cum animi moerore, indigne ferens, (ferent mecum indigne omnes, qui, quid per Christum, eiusque incarnationem magnae dignitatis sibi accesserit? recte expendere et aestimare norunt) e re veritatis esse iudicavi, has *Φλυαρίαις* reprehendere, hasque ineptias paucis confutare.

Male sanam thesin auctoris, cum is e titulo iam colligatur, totaque Tractatio disertius eum eloquatur, opus non est, allegatis eius verbis, conspectui exponere a). Prostat scheda publice in bibliopoliis, emi, legique ab omnibus potest. Nil iuvat auctorem, nec paradoxon tolerabilius reddit, quod adserat, *Filii DEI incarnationem DEO cedere in summum honorem; quia eius perfectiones summas excellentissime illa manifestet*. Hoc enim a nemine, qui incarnationem Christi credit, negatur; nec ad quaestionem, quam Tractatus hic

A 2

prae-

- a) Auctor, in praefamine, sibi ipsi hoc dubium movet: *Ist es nicht wegen, solche ärgerliche Fragen aufzuwerfen?* Respondet autem, lectorem, perlectis paginis, aliter iudicaturum esse; *Man wird entdecken, ait, dasz die Menschwerdung des Sohnes Gottes, nicht in willkürlichen Vollkommenheiten der Menschen, sondern allein in Gottes Barmherzigkeit gegründet sey.* Eccquis autem est, qui unquam dixit, aut credidit aliud? *Quam absona autem consequentia! Si incarnatio Filii Dei non in perfectionibus hominum arbitrariis, sed in sola misericordia Dei fundata est; sequitur, quod ex incarnatione Christi non honor, sed ignominia ad homines redundaverit.* Quomodo haec cohaerent? Addit postea auctor, scripturam de hac veritate (quod honorem habeamus ex incarnatione Christi) nihil expresse statuere; quo ipso vero ad profundiorum rei meditationem excitari debeamus. Quasi vero scriptura de nostro in Christo honore, nostraque dignitate, fileat?



praefert, spectat. Binae enim hae veritates: *Incarnatio Filii DEI manifestat, glorificatque DEI honorem, et: ea cedit etiam hominibus in honorem!* commodè possunt una stare, sensu licet, modoque diverso. DEI enim honor est manifestatio perfectionum, seu infinitorum attributorum suorum; humani generis honor est illa incredibilis dignitas, felicitas, erectio, quam DEVS, incarnando Filium suum, illi, ex gratia plane gratuita, donavit, quamque Filius DEI adquisivit. Nisi autor novi quid et inauditi scribere, aut scandalosam hic orbi logomachiam obtrudere voluisset; quae modo dixi, facile ipse cognoscere potuisset. Verum, ut mox audiemus, definitiuncula philosophica, male intellecta, peius ad rem theologiam applicata, eum in transversum rapuit, et, ut novam sapientiam secum solus non concoqueret, sed cum publico communicaret, induxit. Nec id scandalum elevat, quod autor concedit, *incarnationem Filii DEI, per se, et ex instituto, nobis non adportasse ignominiam, sed per accidens duntaxat; quia, quam profunda sit humana corruptio, et quantas homo promeruerit poenas, manifestet.* Nam, primo, sufficit, quod autor honorem nostrum dilerte neget, ejusque oppositum potius adferere malit: oppositum autem honoris est opprobrium, et ignominia. Secundo, de re inepte antea simpliciter praedicatur, quod postea, ei, non nisi per accidens competere, concedi debet. Quare haec propositio: *incarnatio Filii DEI contumeliam nobis adtulit: aequè scandalosa est, ac illa: evangelium nobis adfert mortem aeternam!* si vel maxime utrique postea illa restrictio: *per accidens*, adjiciatur. Tertio, quamvis correlationem inter se habeant occasionalem, *restitutio* nostra per Christum, et *miseria* nostra per peccatum, seque invicem respiciant, ut res consequens respicit antecedentem, qua ratione etiam correlationem inter se habent *evangelium*, et *lex*: Falsum tamen est, quod restitutio nostra *manifestet* nostram miseriam, quod evangelium *manifestet* legem. Pariter falsum est, quod *incarnatio Filii DEI manifestaverit profundam nostram corruptionem*, quae certe per legem, et per ipsum statum hominis naturalem jam satis manifesta erat. Finis enim et scopus incarnationis *τὸ λόγος*, nullo pacto fuit nostrae miseriae, sed incredibilis amoris, et misericordiae, summae item sapientiae divinae, manifestatio; non turpitudinis nostrae adauctio, sed iustitiae

tiae



tiae perfectissimae, quae coram DEO valet, donatio; nostra *in Deo*, cum DEO unio, et aeterna salus; Unde non poterat non ad miserum humanum genus redundare dignitas longe eximia, ipsis angelis admiranda. Non enim in abolenda solum nostra miseria substituit gratia divina; verum etiam processit ad parandam nobis immarcescibilem gloriam, quae non poterat non ex exaltatione nostrae carnis, a redemptore divino in suae personae unitatem adsumtae, ejusque ad dextram DEI collocatione, sponte sequi.

Omnia autem illa momenta, omnes hos gloriosos fructus incarnationis Filii DEI, autor praetervidet, dissimulat, et de iis tacet, quasi nulla digna sint attentione. De sola redemptione, deque eius restitutione, quod in Adamo perdidimus, mentionem facit, et quidem in genere. Ita frigide rem tractans, aut partam nobis ingentem felicitatem ignorat, aut eius, quam late patet, fontem et scaturiginem incarnationem filii DEI esse, nescit, aut, ut neget, oportet. Nec duram hypothesin emollit, quod memoratus auctor *de incredulis et reprobis monet, eos*, cum redemptorem reiiciant, per Filii DEI incarnationem nihil omnino lucrari; *siquidem imperfectiones eorum, et inde emergeus ignominia, ipsa hac reiectione fiant graviores, iusta etiam olim expectanda condemnatione palam futurae, et manifestandae sint omnibus, angelorum non modo, sed etiam aliorum omnium mundorum felicissimorum incolarum, quos autor credi postulat, choris innumeris b)*. Etenim de felicitate, dignitate, et honore, incredulis, et reprobis actu, et, quoad perceptionem, ex incarnatione Filii DEI emergentibus, nemo unquam cogitavit, nec quaestio auctoris de reprobis agit; *Gereicht uns etc.* quaerit; inter infideles autem, et reprobos se ipsum referre auctorem, quis credat? Ultra destinationem, et acquisitionem, gratia apud reprobos locum non habet; nolunt enim oblata gratia frui, eamque sibi adplicari; Interim tamen iis vere parata, et oblata est. *Ioann. I. II. Ebr. IV. 2. et II. Act. XIII. 46.* Quare falsum est, dicere, quod *gratia ipsa, et incarnatio Christi* iis cedat in imper-

A 3

- b) Dimidiam sane scriptiunculae partem auctor hac hypothesi replevit, variasque hypotheses speciales, arrepta occasione, ex illa concludit; quas tamen, cum ad principalem quaestionem, quam hoc loco examinamus, non spectent, nec cum illa, nexu necessario, cohaereant, dimittimus. Valeant per nos, quantum valere possunt!



imperfectio-
relectio gratiae illius effectus caussa sit. Itaque extra oleas auctor
 vagatur, quando, honorem ex incarnatione Filii DEI negaturus, ad
 incredulos, et reprobos, eorumque statum actualem, et eventualem,
 provocat.

Ut autem, quam impie et stolide quaestionem, a se propositam,
 imprudens autor neget? adpareat; fundamentum, quo totum parado-
 xon nititur, examinandum erit. Nimirum, cogitans de honore, ex
 incarnatione Filii DEI hominibus accrescente, de quo fideles glorian-
 tur, et quem ecclesia tota adserit, non voces rei, sed totam rem unico
honoris vocabulo adcommodat, et committit. Qua ratione non scri-
 pturae litteram, nec Spiritus S. eloquia, non Theologorum scripta
 consulit, sed, his posthabitis omnibus, de honore spirituali, qui non
 est huius seculi, nec ab huius seculi filiis, aestimatur, aut percipi-
 tur, notionem format philosophicam, secularem, immo, ne *honoris*
 quidem vocabulo, in sensu mundano sumto, eiusque communi usus,
 satis, pleneque respondentem. Et, cum e manca hac notione, cui
 per definitiunculam, e philosophia Wolfiana depromptam, autoritatem
 conciliat, honorem, quem ex incarnatione Filii DEI ad nos proma-
 nasse, pie credimus, deduci et explicari posse, non statim intelligit;
 mavult hunc brevi manu reiicere, immo eius oppositum adstruere,
 quam illi renuntiare, suaeque notioni diffidere. *Honor*, ait, est *iudicium*
aliorum de nostris perfectionibus; *Perfectiones* autem, hoc titulo
dignae, nullae sunt, nisi morales, et in nostra libertate fundatae, quarum su-
mus auctores, sive, quae tribui nobis ipsis possunt. Plenum ergo *honoris*
conceptum tradit hunc: *Honor est iudicium aliorum de nostris perfe-*
ctionibus, quae in nostra libertate fundantur. Quascunque ergo alias
 perfectiones, dignitates, praerogativas, in libertate voluntatis non fun-
 datas, honorem adportare, aut illum ingredi, negat c). Hac ratione
 facile intelligitur, auctorem sibi viam parare, qua progredi queat ad
 negationem ullius honoris, ex incarnatione Filii DEI ad genus hu-
 manum redundantis. *Non enim illa, ait, perfectiones hominum mo-*
rales, in libertate eorum fundatas, sed imperfectiones potius, et peccata,
 mani-

c) Haec *Φιλοσοφόμενος*, hancque deductionem tractat pag. 2 usque 8.
 et ita rem confecisse, putat.



manifestat, quae aeternas poenas promeruerant, tantas quidem, quibus sustinendis sola infinita persona par fuit: Hoc autem est, pergit, manifestatio hominum ignominiae; siquidem longe magis honorificum, iis fuisse, nullo indiguisse redemptore, das sie in der Ordnung ihrer eignen Werke seelig worden wären p. 16. Haec est totius nugatoriae sophisticationis epitome, et negatae quaestionis totum fundamentum.

Quam vero ruinosum illud sit, et quam nugatorium totum institutum? facili negotio commonstrari poterit. Primo enim vox: *honor*, sicut in communi vita et usu, ita praecipue in re, de qua quaestionem auctor instituit, non est illius strictae significationis, ut *actum honorantis*, consistentem in iudicio, de perfectionibus eius, quem honorat, designet; sed saepissime etiam sumitur pro *dignitate, praecellentia, splendore, eminentia* personae, e quibuscunque dotibus, officiis, et perfectionibus, sive connatis, sive collatis d). Qua ratione falsum est, honorem semper supponere *perfectiones morales, quae in voluntatis libertate fundantur*, referri semper ad *eximia merita*, et consistere in *aliorum de iis iudicio*. Falsam ergo notionem suae demonstrationi subternit auctor; qui scire debuisset, *honorem* h. l. idem esse, quod *dignitas, dignatio, praerogativa*, graecis ἐξοχή, ἀξίωσις, δόξα, ὑπεροχή; germanice: *Würde, Vorzug, Hoheit*; quae non praecise aliorum de nostris perfectionibus iudicio absolvuntur, sed etiam sine eo locum habent, et e gratis, iuribus, privilegiis superiorum, e nativitate, ordinis, vel officiorum aestimatione civili, fluunt, comitemque habent reverentiam et existimationem aliorum. Haec ultima, nimirum reverentia, quando *honoratio* adpellatur, vel *externa* est, quae externis honorationis signis perficitur; vel *interna*, quae solo iudicio perfectionum eius, qui honore adficitur, absolvitur. Rarus sane, in praxi, hic est significatus *honoris*, quo ad *perfectiones morales*

- d) Notoria haec sunt, nec in dubium ulli vocanda. Ut vero idem ex usu etiam biblico ostendatur, conferantur e g. Num. XXII. 17. XXIV. 11. Esber VI. 6. Dan. XI. 39. In quibus locis *Luiberi* versio habet: *Ebre, ebren, Ebre anthum*. Textus hebr. ככר, יקר, עשה, *Alexandrina* versio: δόξαι εἰς, ἡμῶν τοῖσιν δόξαι. *Schmidius* habet: *honorare, honore adficere, honorem facere*. E contextu autem patet, sermonem esse de honore externo, de splendore, de dignitate, immo opulentia conferenda. Plura praeterco.



rales praecise abs honorante respicitur: Virtus enim et merita in mundo omnium minime honore adficiuntur, sed, raras aves, manent communiter in occulto, et, loco honorationis, contemptu excipiuntur.

Haec eum in finem dixi, ut adpareat, auctoris, de *honore* formatam notionem particularem duntaxat, et communi usui vocis haud plene respondentem, definitionem *honoris* quoque partim nimis angustam esse, partim, plus, quam debebat, continere. Etenim, si *honor* consistit in iudicio de perfectionibus alterius; in praxi honoris perinde est, cuiusnam qualitatis sint illae perfectiones? nec requiritur praecise, ut sint *morales*, et in *voluntatis libertate fundatae*. Vir nobilis, officii dignitate conspicuus, minister regis, et principis, magnatum agnati, principes ipsi, honorantur, competitio honor, et, ut suspiciantur ab inferioribus. Ipsa status, officii, dignitatis, conditio honorem externum habet adnexum. Atqui quaeso, posito illo honore, posita dignitate, num ponuntur semper perfectiones morales? virtutes, merita? nonne debetur multis honor, licet perfectionibus moralibus omnino destituantur? Ubi ergo, in notione *honoris*, in genere, manet postulatum, de *perfectionibus moralibus*? Si ais: atqui is non est ille, quem ego intellectum volo, *honor*; respondeo: Est, certe honor, consensu omnium; qua alia recte uteris voce? Quare, contra communem usum vocis, tibi fingis particularissimam notionem? Hoc enim, si facis, non de re litigas, sed de verbis, Communi loquendi ratione; *honoratum esse*, idem est, quod: *dignitate, praecellentia, praerogativa conspicuum esse*; unde *honor* et *dignitas* pro eodem sumuntur: quod, si ferre nolis, pedantismum prodes, logomachiam committes, et Iophista iudicaberis.

Et hanc quidem notam iuste incurrit auctor noster anonymus, dum pretiosam, de honore eximio, ex incarnatione Filii DEI, ad nos derivato, veritatem negare, et contrarium adserere, non erubescit, et quidem e solo hoc fundamento, quod vocem: *honor*, capter, et rem ipsam reiiciat, quia nomen ei non satis conveniens videtur. Atqui, licuisset illi, aliud vocabulum substituere, et quaestionem ita formare: *Gereicht uns die Menschwerdung des Sohnes Gottes zu einigen Vorzügen, zu einer Würde? Haben wir Ruhm und Hoheit in Christo, durch seine Menschwerdung erlanget?* Hanc quaestionem, si tractare voluisset, inutilem deprehendisset totum suum demonstrandi adparatum.

Secundo



Secundo autem *honorem spiritualem*, cum *seculari*, et *philosophico*, parum sobrie committens, scire debuisset, longe aliam rationem esse illius honoris, quem homines fideles in Christo, et per Christum, coram DEO, adepti sunt, et illius honoris secularis, et philosophici, quem *in iudicio aliorum de nostris perfectionibus*, quatenus *in libertate nostra fundantur*, auctor constituit. Incarnationem Filii DEI honorem nobis parere illo sensu, ut aut sancti angeli, aut ipse DEVS, magnifice sentiant de nostris perfectionibus, e nostro arbitrio, e nostris viribus profectis, nemo Christianus unquam dixit. Qui enim hoc adfereret, turpem illius iustitiae imputativae, quam in Christo habemus, et fide nobis adplicamus, gratiae illius gratuita, quam nobis Christus adportavit, ipsius redemptionis, et satisfactionis Christi vicariae, immo totius salutis ordinis, ignorantiam proderet; et in fidei christianae fundamenta infeliciter incurreret. Quod si enim propriam habuissemus, coram DEO valentem, iustitiam, iustitia Christi adquisita non indignissemus; si propriis viribus valuissimus, gratiae viribus opus non fuisset. Propriam virtutem moralem, extra Christum, homini coram DEO honorem non conciliare, si vel maxime labe illa non sit contaminata, adparet ex *Luc. XVII. 10. Rom. IV. 2. III. 27.* Debita enim officia non sunt merita, ergo nec honorem apud DEVM conciliant. Noster autem apud DEVM honor is est, *quod induamus Christum Gal. III. 27; Simus in Christo, Rom. VIII. 1; per Christum iusti, in Christo sancti*, tamquam fratres Christi, *DEO accepti Ephes. I. 4. 5; immo DEI filii, e DEO nati, et, quicquid habemus, hauriamus e plenitudine Christi. Ioh. I. 12. 16.* Quae enim nobis donatur iustitia, cum Christi, non propria nostra, sit, *Phil. III. 9*, tanta est, ut *nihil condemnationis apud nos maneat, Rom. VIII. 1. ut simus sancti, et mundi, non habentes maculam, aut rugam, Ephes. IV. 27.* Nostris certe perfectionibus moralibus eo nunquam contenderemus, *quorum iustitia propria refert pannum mensuratum. Ies. LXIV. 6.* Quare, quicquid nostrae iustitiae, nostrarum virtutum moralium, DEO placet, et ab illo gratiosam remunerationem promissam habet, non placet per se, sed propter Christum, cui fide adhaeremus, cuius fidei fructus, spiritus Christi gratia producti virtutes sunt, *Ioan. XV. 4. 5.* Honorem ergo nostrum



strum coram DEO spiritualem, dum auctor anonymus in perfectione nostra propria morali quaerit, parum evangelice sentit, et in fide Christiana non bene viderur esse informatus.

Postquam igitur nugas, et lusus Scriptoris nostri, de honoris notione, explosimus, et fundamentum arenosum, unde, ex incarnatione Filii DEI, honoris nihil, potius contrarium, nobis accrevisse demonstrat, dissecimus; evictum etiam dedimus, quod, sicut communiter, ita praecipue in hac quaestione, de qua hactenus sermo fuit, vox *honor* idem notet, quod: *gratiosae collata dignitas, praerogativa, praecellentia*: etc. Opus nunc est, ut, incarnationem Filii DEI honori nobis incredibili cedere, e biblicis fundamentis probemus. Videbit auctor, Scripturam S. de illo honore nostro non filere, sed clarissime, et satis copiose de eo testari. Hoc modo praeponat, quod incarnatio Filii DEI, qua nostram naturam in infinitae suae personae unitatem adsumsit, *Ioan. I. 14*, et nunc homo DEVS est, fundamentum et principium sit omnis nostrae felicitatis, omnium beneficiorum divinatorum, omnis gratiae, et salutis, cuius participes esse possumus in hac, et erimus, in futura vita. Hoc praestructo, dicat nunc noster, vtrum dignitas et honor sit, an ignominia, Filium DEI habere consanguineum, et fratrem, fratrumque nomine ab ipso adpellari? *Pf. XXII. 23, Ioan. XX. 17. Ebr. II. 11*. Monstret vllum scripturae locum, vbi Filius DEI angelos compellet fratres. Is autem honor noster ex illa oritur relatione, quae inter Christum et nos intercedit, naturae nimirum identitate, qua *carnis et sanguinis particeps est, perinde ac nos, factus nobis similis per omnia, descenditque nobiscum ab vno communi stemmate. Ebr. II. 11. 14. 17. e)* Quodsi angelorum frater foret, angelos adsumere debuisset, non *semen*

- e) Hanc nostram cum Filio Dei cognationem admodum frigide tractat auctor, nec incarnationem in alia relatione contemplatur, quam, quatenus opus redemptionis, et satisfactionis vicariae eam necessario requisivit; *Christus, ait, hat diemenschliche Natur an sich genommen, damit er in solcher auf der Welt wandeln; und die Menschen unter den Umstanden, worin es geschehen ist, das ist, in einer gewissen Gleichheit, die er mit ihnen hatte, unterrichten könnte; und damit er unter den nämlichen Umstaenden, worin er es gethan, mögte leiden und sterben.* Fufius hoc persequitur; et id omne est, quod respondet ad objectionem, quam sibi format pag. 8. *Sollte dieses dem menschlichen Geschlechte nicht Ebre seyn, das Christus - ein Bruder der Menschen worden?*



men *Abrahae*, *ibid.* v. 16. Non contendimus, hominem, in se, esse creaturam angelis nobiliorem; damus vltro, ad excellentiam naturae Filium DEI non respexisse. f) Damus, incarnationem Filii DEI necessariam fuisse ad satisfactionem vicariam, postquam immensa DEI misericordia perditum genus humanum per Christum restituere, liberrime constituit. Sint, quod auctor tanta fiducia, quasi ipse viderit, de quo tamen scriptura silet, in Saturno, in mille aliis huius vniversi corporibus totalibus, creaturae rationales, homine praestantiores: quid inde? Sufficit, hominum naturam, aliam nullam, in *υπόστασι* Filii DEI susceptam esse: Et hoc quidem non ad tempus solum, donec opus satisfactorium fuerit peractum, hoc est, quamdiu ipsa necessitas talem in mediatore naturam postularer; Sed in omnem aeternitatem. Resurgens enim Servator a mortuis, ascendens in coelum, sedensque ad dextram Patris, humanam naturam retinuit, inque illa redibit ad iudicium vniversale, *Ioan. XIX. 37. Act. I. 11.* Nec tum eam dimittet; sed, hostibus eius cunctis ad scabellum pedum storum positis, regnumque tradens Patri *I Cor. XV. 24.* tamen homo manebit, eritque sine fine Rex, et caput suae, quam proprio sanguine adquisiuit, ecclesiae, in aeternum triumphantis. *Luc. I. 33. Apoc. XXII. 3.*

Quid ergo miraris, Filium DEI, naturam humanam adsumendo, non adsumisse omnium excellentissimam? Pone, esse infimam, et postremam, in tanta, quam fingis, creaturarum rationalium diversitate (atqui tamen *condidit DEVS hominem in sui similitudinem, in suam imaginem, Genes. 1. 27*; hoccine tibi parum est? cum tamen

B 2

idem

f) Pag. 10. scribit: *Was haben wir derohalben für Ursache zu sagen, daß der Grund, warum Christus Mensch ist, aus der Vortreflichkeit der Natur genommen sey? pag. 11. Was hat sich das menschl. Geschlecht für Vorzüge der Natur zu rühmen, weil der Sohn Gottes sie angenommen? Ist denn diese Natur so reizend. - - Es muß den Einwohnern des Saturni recht wunderlich vorkommen etc. Contra quem hoc loco auctor pugnet? nos nescimus, et forte nesciet ipse. Nemo enim, tantam esse, adferuit, humanae naturae, in se spectatae, excellentiam, ut illa ratio mouens esse potuerit incarnationis Filii DEI. Multo minus a nobis adferitur, tales naturae humanae perfectiones, quae Filium DEI mouerint, ut potius humanam, quam aliam quandam, naturam assumeret, esse a parte hominum, liberat, et ex hoc capite iis honorem conciliare. Somnia haec sunt.*



idem, nisi de folis angelis, de nulla alia, si quae datur, creatura rationali, probarum dare poteris). Nostine, DEVM libere agere, Rom. XI. 35.; Exaltare et exinanire I Sam. II. 7, et respicere id, quod humile, quod miserum, quod nihil est, Ps. CXIII. 5. seq., I Cor. II. 27. 28, ut ipsi soli sit gloria? conf. Ephes. I. 3-7. II. 12. Relinquitur nunc, humanam naturam esse omnium excellentissimam; propterea, quod libere a DEO ita honorata, aliisque praelata est, ut ipse DEI Filius eam adsumserit, et in omnem aeternitatem sustentet. A sustentante ergo est dignitas naturae. Num, quod hominibus, ex incarnatione Filii DEI, insignis honor, atque dignitas, accesserit, adhuc negabis?

Geminum illius dignitatis probandae argumentum hoc est, quod nos homines habeamus fratrem, in carne nostra, ad dextram DEI euectum g) principem regum terrae, Apoc. I. 5, quem, in sua humanitate, adorant omnes angeli DEI, Ebr. I. 6, qui, tanquam ho-

mo

g) Quam jejune, et parum solide, auctor hoc argumentum tractet, legi potest pag. 13. *Man sucht die Ehre auf eine andere Art darzustellen. Einer aus unsern Brüdern sitzt Gott zur Rechten - - Ia, ist selbst Gott: Sollte uns dieses nicht Ehre machen? Responder, post alia, sic; So lange die Ungleichheit zwischen Christo und den Menschen so gros ist; so lange jener Gottmensch heilig, und wir hingegen mit Sünden behaftet sind; so lange gereicht uns seine Hobeit eben zu keiner wahren Ehre. Et paulo post; Gründet sich also die Erhöhung Christi, nicht in unserm sittlichen Vollkommenheit, so bringt sie uns keine Ehre. Confundendo impios, incredulosque cum piis fidelibus, statum quaestionis iterum deserit. De piis fidelibus autem scire debuisset, quod, quamvis cum peccato in hac vita adhuc colluctantur, quamvis etiam inter illos et Christum, sit, ratione sanctitatis, infinita disparitas, honori tamen, quem in Christo per fidem habent, illud neutiquam obstat, aut noceat. Ab omni enim peccatorum forde abluuntur sanguine Christi, in quotidiana poenitentia. I Io. I. 7. Dignitas enim illorum non est ex illis ipsis, et sanctitate propria, sed e Christo, et iustitia, fide imputata. Hanc autem fidei iustitiam, auctor, aut ignorare, aut negare, iustitiamque omnem, hinc etiam honorem apud DEVM, ex operibus legis quaerere, videtur. Quam sententiam, si vere tenet, in errore fundamentali, et salutis discrimine versatur, pro membro ecclesiae evangelicae nullo pacto agnoscendus. Qua autem ratione Christi exaltatio in perfectione nostra morali, quod auctor postulat, debeat, possitque fundata esse? id me non capere fateor. Verba vix ullum sensum admittunt.*

mo, iudex erit vivorum et mortuorum, Ioan. V. 27, cui Pater subiecit universam creationem, nulla creatura excepta, Ps. VIII. 7. seqq., I Cor. XV. 27, qui caput est suae, ex hominibus collectae, ecclesiae, membra autem habet homines, fide illi adhaerentes: *Hi sunt de eius carne et ossibus* (per naturae identitatem) Ephes. V. 30, immo, *unum mysticum* cum Christo constituunt, Ioan. XVII. 23, suntque plenitudo eius, qui omnia complet. Ephes. I. 22. 23. Haecine dignitas hominum est eximia, honor hincine excelsus? quo alio titulo, qua alia voce, hanc praerogativam vocaveris? Quanto honore fruuntur Papae nepotes, et, quam iis per hanc, cum papa cognationem, via pateat ad maxima ecclesiae romanae munera? quis est, qui nesciat? Honorem ergo denegabis illis, qui cognati sunt Filii DEI, per eandem naturam, secundum quam *is consedit in throno gloriae ad dextram maiestatis?* Ebr. VIII. 1. Iisne promisit, quod eius futuri sint *cohaeredes?* Rom. VIII. 17. *sessuri cum ipso in throno suo, sicut is consedit cum Patre suo in throno ipsius.* Apoc. III. 21. Talia ubi leguntur promissa angelis, aut, si quae datur, rationali creaturae alius generis? Homines sunt, non angeli, illi XXIV. *seniores*, quos Ioannes coronis aureis decoratos, *thronum DEI circumsedentes vidit.* Apoc. IV. 4. V. 8. 9. hos demum circumdederunt cohortes angelicae Apoc. V. 11. Apostolis suis Christus promittit Matth. XIX. 28. *quando sedebit filius hominis super throno gloriae suae, sedebitis etiam vos super duodecim thronis, iudicantes duodecim tribus Israel.* Idem apostolus confirmat I Cor. VI. 2. 3. *Nonne scitis, quod sancti mundum iudicaturi sint? Si a vobis iudicabitur mundus, indigni estis iudicio minimorum? Nonne scitis, quod angelos iudicaturi simus?* Maiora utique haec, et excelsiora dignitatis, atque gloriae documenta sunt, quam, ut ratio capere, et credere queat; aut, nisi divinus Spiritus dixisset, illud antecedenter conicere unquam potuisset.

Aliud est, quem per Filii DEI incarnationem, obtinuumus honoris, dignitatis, et praerogativae, argumentum confirmans, illud est, quod *ecclesia* (atque ea est collectio, et numerus fidelium) adpellatur *sponsa Christi, cui se desponsavit in aeternum* Hos. II. 19. Ephes. V. 23. seqq., praesertim v. 32.; Apocal. XIX. 7-9. quae Christo regi olim *stabit a dextris*, decorata incomprehensibili iustitiae, gloriaeque



ornatu, et honore. Pf. XLV. 10. *seqq.*, in oculis ipsius reputata pretiosa, excellens, אֲדִיר, Pf. XVI. 3. et splendida, εὐδοξος, Ephes. V. 27.

Tandem etiam honorifica, et gloriosa humano generi illa est, ad quam ius per Filii DEI incarnationem accepit, gratia adoptionis, et υιοθεσίας, Io. I. 12. Gal. IV. 5. 1 Io. III. 12. qua, e DEO nati, Job. I. 13., DEVM Patrem nostrum compellamus, et DEI filii sumus per Christum, et communiter cum Christo, Ioan. XX. 17. Quare etiam υιόων facti sumus in partem sortis sanctorum, in luce, Coloss. I. 12. exspectantes fide et spe salutem aeternam, coronam iustitiae, 2 Tim. IV. 8., haereditatem incorruptibilem, immaculatam, et immarcescibilem, in nos servatam in coelis, 1 Petr. I. 4. cum gloria, et honore. Rom. II. 7. En tibi ergo honorem, dignitatem, gloriam, nobis ex incarnatione Filii DEI paratam. Satisne testimonii? Num filet Scriptura Sacra?

Haec omnia si paradoxophilus noster Scriptor bene secum expendisset, et vim eorum viva cognitione, et fide, vel parumper gustasset, honorem et dignitatem, ex incarnatione Filii DEI ad nos redundantem, tam scandalose, frivole, et ieiune non negasset; multo minus, ignominiam inde ad nos promanasse, impie adseruisset; nec tandem schedam suam observatione illa finiisset: quod, cum angeli, nativitate Christi, apud ovium pastores, nuncii, Luc. II. 14. gloriam DEO in excelsis cantent, non item hominibus, sed pacem duntaxat his, et beneplacitum; eo ipso confirmetur, quod incarnatio Filii DEI hominibus honorem nullum adportet. Etenim, quid ad hanc ieiunam observationem responderi debeat? e supra dictis facillime intelligitur. Id vnicum addo, εὐδοξίαν sive ad DEVM, tamquam subiectum, referas, ut obiectum homines sint; sive εὐδοξίαν hominibus, velut subiecto, tribuas, ut obiectum sit donatus mundo redemptor; utroque modo falsum esse conficitur, quod incarnatio Filii DEI nobis ignominiae cesserit. DEI enim in hos, quorum ignominiam, Filii sui in carnem missione, manifestare et augere voluit, εὐδοξία, locum non habet: homines autem, quomodo εὐδοξίας capaces esse possunt in re, contumeliam illis adferente? Verum plura adiicere taeder.

Quodsi Scriptor noster, loco propositae a se quaestionis, hanc movisset: *Anne incarnatio Filii DEI, nostram quoque per peccatum contra-*

contractam profundam miseriam altius meditando, ansam nobis suppetet? adfirmatione huius quaestionis nihil analogiae fidei dissonum dixisset, nec inutilem laborem suscepisset. Non enim, nisi solide cognita nostra miseria, gratiae dulcedinem gustamus, bonorumque per Christum partorum participes fieri possumus: oportet, ut nobis nihil ante simus, quam tantae gratiae, per Christum acquisitae, premium recte aestimare, DEOQUE gloriam cantare queamus. Sed quaestione illa: Gereicht uns die Menschwerdung des Sohnes Gottes zur Ehre? negata, negatisque tantis, quas nobis Christus adportavit, praerogativis, aut crassam ignorantiam auctor prodit, aut profani cordis notam gerit. Faxit DEVS, ut saepe dictus auctor, qui, quod spero, non adeo profani cordis impietate, aut, religionem per latus fodiendi, animo, sed scribendi pruritu, et imaginariae sapientiae stimulo impulsus, scriptiuncula sua scandalum multis dedit, rectius sapere discat, et damnum illatum publica recantatione reparet. h)

De cetero, veritatem ipsam, quam hactenus vindicavimus, qui pluribus prosequuntur, et conferri merentur, non desunt. E scriptoribus sexcentum asceticis, et quidem nostratibus, sufficiat nominasse b. LUTHERVM passim, praesertim, *in der Hauspostil, ex edit.* D. WALCHII pag. 97. seq., 106. 110. 1882. seq., 10. GOTTL. CARPZOVIVM, *in der Herrlichkeit, und Vorzug der Gläubigen p. 742.*, b. SCRIVERVM, *im Seelenschatz, P. II. Conc. 10. vom Adel der gläubigen Seelen.* RAMBACHIVM *in Concione: von der, durch die Menschwerdung des Sohnes Gottes, geadelten menschlichen Natur; in den heilsamen Lehren.* Dn. D. STEMLERVM, *in Conc. Christi Menschheit unsere Kindschaft bey Gott. vid. eius: Worte zu seiner Zeit.* REINBECKIVM, *in Conc. die von Gott, den Menschen, in der Geburt Christi erwiesene Ehre. Concion. in Evangelia.* Nec omnino desunt

- h) *Relationes Erlangenses, supra excitatae huius farinae aliam quaestionem plane otiosam, et aequae nugatoriam: Gereicht es uns zur Ehre, das uns GOTT erschaffen hat? lucem propeditem adspecturam esse, praenuntiant. An ab eodem, an ab alio auctore sit expectanda? quis novit. Optandum esset, ut silerent tales graculi, et sibi folis saperent, insipientiae. Prima illis quaestio meditanda foret: Gereicht es uns für GOTT und Menschen zur Ehre, das wir so unchristliche, albere und unnütze Fragen aufwerfen? Conf. I Tim. VI, 4, 5.*




desunt, dogmatica nostratium Theologorum de hoc themate Scripta, e quibus sequentia notasse satis erit, b. D. BVDDI Progr. de aucta per incarnationem Christi humani generis dignitate. Reperitur in Meditationibus sacris; D. RAMBACHII Progr. de Iesu Christo fratre hominum; b. D. WERNSDORFII Disp. de Communionem fidelium cum DEO. b. D. IO. NICOL. QVISTORPII Disp. de Coniugio Christi mystico cum fidelibus. SEB. SCHMIDII Disp. de eodem argumento; item, de desponsatione fidelium cum Christo. BREITHAVPTI Disp. de mysterio unionis fidelium cum DEO. Omitto plura.


Nihil iam superest, Cives O. O. H.! quam, ut, exigente officii ratione, vos etiam etiamque horer, ut praeiens festum devote celebretis, eoque contendatis, ut illud vobis salutare esse queat. Venerabundi contemplantur misericordiae divinae, qua tantum vobis redemptorem, humana carne vestitum, gratiosissime dedit, abyssum. Sancta mente vobiscum expendite, quanta dignitas, quantus honor inde ad nos promanauerit? Felicitas nostra tanta certe est, ut viva fide cognita, non possit non ad fervidissimam laudem divinam, ad spirituale gaudium et tripudium, nosmet concitare. *Beatus populus eorum, qui clangorem norunt: O Iehovah; in luce facierum tuarum ambulabunt, in nomine tuo exsultabunt omni die, et in iustitia tua exaltabuntur. Ps. LXXXIX. 16. 17. Omnes enim iam sumus filii DE I per fidem, Gal. III. 26, DEO accepti in dilecto, Ephes. I. 6. huius autem membra, fratres et cohaeredes. Ambulemus itaque tali gratia condigne; non delectati in operibus tenebrarum, sed lucis, qui lucis filii sumus. Ephes. V. 9. Abiciamus perverfos mores, DEO exosos; doctrinam salutarem potius ornemus sobrietate, et sanctimoniae studio. Cogitemus tandem, gratiam tantam, adeo copiose nobis a teneris nunciatam, mentem postulare salutis propriae curam gerentem μετὰ φόβου, καὶ τρόμου, Phil. II. 12. Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Ebr. II. 3.*


P. P.


SVB SIGILLO RECTORALI,
FERIA I, NATIV. CHRISTI, D. XXV. DECEMB.
ANNO MDCCLVII.











non modo impleueris, sed etiam longe superaueris.
lenique mihi, quod te arctissimo familiaritatis vincu-
lum in studiis academicis in primis fidelissimum sem-
rim amicum. Publicas igitur tibi persoluo gratias
tuo erga me amore, tantaque in disponendo animo
atque diligentia. Nam consiliis tuis imbutus, cum
ctu studium theologicum me inchoasse sentio; & uti-
pergas studia mea, pro tua, quae nos intercedit,
ctissima, ordinare atque subleuare. Persuasum tibi
reliquo, omni opera & studio me semper anniti, quo
nonstrem, quanti te faciam, & in quantum tibi sim
Habes hic integerrimae mentis meae declarationem;
me designasse hic plane, quibus animus tibi deditus
ctus, affectus. Vale igitur, amice ex paucis dilectissi-
ariaris, te amicitiae nostrae esse immemorem. Quod
ut fiat, enixissime a te contendo. Iterum vale.

Dabam Halae d. V. Maii
MDCCLVIII.

